



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 104. Italorum Principum Fœdus cum Maximiliano adversus Gallos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. CIV.

Sæcul. XV.
A. C. 1496.*Italorum Principum Fœdus cum Maximiliano adversus Gallos.*

Plurimum turbatæ, fractæque erant foederatorum vires pace nuper a Ferdinando cum Gallis inita; ergo partes suas reficere satagunt nova armorum societate, quam cum Maximiliano Imperatore paciscuntur, eo promittente, seipsum, si foederati viginti duo aureorum Rhenanorum millia in singulos menses numerarent, in Italiam venturum cum valido exercitu suis sumptibus alendo. Galli ex adverso, qui adhucdum in Italia hærebant, quosdam Principes ad arma concitare conantur, præcipue vero Ferrariæ Ducem, qui Venetis, quod eum Peninsula Rhodigiana spoliassent, nec non Ludovico, qui eis operam suam locabat, summe infensus erat; Præterea Dux Ferrariensis non modo Florentinos, sed etiam Mantuæ Marchionem ad suas partes trahebat; illum enim Veneti ab exercitu sui imperio nuper amoverant: Florentinorum quoque exemplum imitabatur Bentivolius, probe edoctus, quod Pontifex Bononiam, ut illius possessionem cuidam ex suis Filiis Nothis vindicaret, vi occupare meditaretur. Accesserant etiam Jordanus Urfinus, & Al-

Sæcul. XV.
A. C. 1496. vianus, qui ex carcere, in quem Ferdinandi jussu detrudebantur, elapsi fidem dederunt, se Gallis quingentos levioris armaturæ equites suppeditaturos; Frater quoque Cardinalis S. Petri ad vincula Romanæ urbis Præfectus totidem pedites transmittere pollicitus est. Hisce copis Trivulcius Astæ commorans præficietur.

§. CV.

Ordines Regni a Lusitanicæ Rege convocati.

Marian. l. 26
n. 70. Sub idem ferme tempus Emanuel Lusitanicæ Rex adepto regni solio generalis status sui Ordines Montemauri prope Eburam convocabat, ut ex eorum consilio publica Regni sui negotia in ordinem redigeret. Intererat quoque Georgius defuncti Regis filius Nothus, nonnisi quatuordecim annos natus unacum Didaco Almeyda supremo Ordinis S. Joannis Magistro ejusdem Moderatore. Hunc Rex haud vulgaribus amoris significationibus excepit, professus, quod illum velut Patrem suum veneraretur, atque ab eo tanquam illius filius haberi vellet. Postea Emanuel Oratores ad Castellæ & Arragoniæ Reges ablegabat, qui de consensu a se throno eosdem edoceret, alios quoque decernebat ad Alexandrum sum-